
eum quasi leprosum: et percussum a deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostre super eum: et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit. et dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit. et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur: et sicut agnus coram tondente se obmutescet. et non aperuit os suum. De angustia et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. et dabit impios pro sepultura. et divitem pro morte sua. eo quod iniquitatem non fecerit. neque dolus inventus fuerit in ore eius. Et dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam: videbit semen longevum. et voluntas domini in manu eius dirigetur. pro eo quod tradidit in morte animam suam: et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit: et pro transgressoribus oravit. ut non perirent.

Feria v. in cena domini ad corinthios



Fratres. Convenientibus vobis in unum: iam non est dominicam cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam presumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius quidem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum: aut ecclesiam dei contempnitis. et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a domino quod et tradidi vobis: quoniam dominus ihesus in qua nocte tradebatur. accepit panem. et gratias agens fregit et dixit. Accipite et manducate. hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem: postquam cenavit dicens. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotienscumque bibitis in meam commemorationem. Quotienscumque enim manducabitis [panem hunc et calicem bibetis mortem domini annuntiabitis.] donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem vel biberit calicem domini indigne: reus erit corporis et sanguinis domini. Probet autem se ipsum homo. et sic de pane illo edat. et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne: iudicium sibi manducat et bibit. non diiudicans corpus domini. Ideo multi [inter vos] infirmi et imbecilles. et dormiunt multi.

